



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Canticvm Isaiaë. Cap. XII. Confitebor tibi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

CANTICA

BIBLICA.

CANTICVM ISAIAE. CAP. XII.

Confitebor tibi.

EST animus, Deus alme, pias tibi soluere
 laudes,
 Grataq; pro accepto verba referre bono,
 In mala sæpe tuis ieram contraria iussis,
 Irarum fueram multa ego causa tibi:
 Tu tamen infensum posuisti mente calorem,
 Et consolator factus es ipse mihi.
 Dicam igitur, Dominus meus est seruator, ob idq;
 Securo viam corde, metuque procul.
 Ille meum robur solidum, fecundaque laudis
 Digna que materia est, denique sola salus.
 Saluifici tandem Domini de fontibus haustas,
 Sumere gaudenti mente licebit aquas.
 Mutuò adhortantes hora dicetis in illa:
 Laudibus æthereum tollite quisque Deum.
 Illius augustum nomen, sanctumque vocate,
 Sollicitique pia semper adite prece.
 Consilia ipsius totum vulgate per orbem,
 Excelsi memores nominis esse Deum.
 Cuncta sonent Dominum lætis concentibus ora,
 Auxit magnificis commoda nostra modis.
 Cura sit hoc spargi tractus telluris in omnes,
 Nullaque pars huius cognitione vacet.
 Exulta & lauda, ô habitatrix turba Sionis,
 Signaque lætitiæ da manifesta tuæ.

Magnus

Magnus enim Isacidū Dominus, sanctissimus idem
Ipse tui medium seruat, habetque locum.

CANTICVM EZECHIE REGIS.

Ego dixi in dimidio dierum.

Isa. 38.

Q Vum medium ætatis tantū viuendo tenerem,
Et tempus rerer mortis adesse tamen,
Sic tristi, ac tacito mecum sum murmure questus:
Hei mihi quòd stygiis tam cito mergar aquis,
Tamque cito ingrediar fauces Acherontis auari,
Antraque splendoris nescia Phèbe tui!
Expendi ad plenos quantum mihi deforet annos,
At deerant numeris tempora multa meis.
Maioresque in luce moras sperare nequibam,
Quòd premerer fati proximitate mei.
Iam mihi viuentes (dixi) non amplius inter
Fas erit ætherei visere templa Dei.
Non ego mortales posthac, velut ante, videbo
Tranquilla pacis commoditate frui.
Lapsa mea est ætas, nostri nec sanguinis ordo
Spem modo promissæ posteritatis habet.
Sic illa à nobis cursu properante recessit,
Tam mea sunt parua tempora facta moræ,
Vt sua transportat celeri tentoria raptu
Pastor, & in fascem complicat illa breuem.
Vita mea infelix velut à texente recisa est,
Et modo viuendi proxima finis adest.
Cœpta mihi fuerant fatali stamina fuso,
Ante diem abrumpens sed Deus illa scidit.
A mane ad tenebras morbo cruciatus acerbo,
Credebam finem prorsus adesse mei:

Post-